

CELSISSIMO PRINCIPI  
JOSEPHO WINCISLAO  
DE LICTEINSTEIN,  
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,  
AUGUSTISSIMI CAESARIS APUD CHRISTIANISSIMUM  
REGEM LEGATO &c. &c. &c.

**S**atis nosti, CELSISSIME PRINCEPS, quàm erudite, quàm eleganter, & quanta cum sui nominis gloria Ezechiel Spanhemius V. Cl. *de usu & praestantia veterum Numismatum* proxime praeterito Saeculo differuerit. Mihi quoque par consilium olim in mente obversabatur, differendi nempe *de usu & praestantia antiquarum Inscriptionum*. Amplum sane argumentum, multiplicifque eruditionis apprime foecundum; atque ego in eam rem complura mihi jam comparaveram subsidia, in primis verò ditissimam nondum editorum Marmorum copiam. Sed dum novae in dies curae me mihi eripiunt, eò tandem studiorum meorum lineae processerunt, ut quod jamdiu constitueram, numquam complere potuerim. Statutum est ergo mihi, altero saltem beneficio Reipublicae Literariae commoda promovere, ingentem videlicet vetustarum Inscriptionum Syllogen evulgando, quae diligentiam Gruteri, Reinesii, Sponii, atque Fabretti olim effugerunt, aut post eosdem emerferunt. Hanc autem tibi, praestantissime Princeps, dicatam volui, hanc tibi pollicitus fueram, & quamvis supervenientibus identidem novis Antiquitatum supplementis, fidem meam liberare haëtenus distulerim, voti tamen compos factus, nunc tandem venerabundus offero. Quod quum praesto, animus mihi plane est, ut haec veluti tefera sit singularis erga Te obsequii mei, ac palam faciat, quanta sit apud Italos quoque homines, tui Nominis, tuaeque Virtutis magnifica existimatio. Et laetus quidem ad te properat hic Liber, probe sciens, quo amore Literas, bonasque Artes prosequaris, & praecipue quàm cara tibi sint venerandae rudera Antiquitatis. Hanc in rem, uti jamdiu didici, Tu quoque nobile Museum caelatarum Gemmarum Tibi parasti, in quibus aegre quisquam decernere possit, majorem-ne delectationem ex figuris tam affabre & concinne insculptis, an uberiolem Eruditionis segetem referre ex earum Historia Literati Viri queant. Atque heic multa mihi dicenda occurrerent, nisi provinciam hanc, tuas scilicet laudes, praeoccupasset Cl. V. Blasius Caryophyllus in Epistola ad Te scripta in Libro de Antiquis Marmorum fodinis, ubi quae voluptas sit, Te audire de Artibus ac Scientiis pertractantem, disputantem, is elegantissime exponit. Utinam & ego ejusmodi voluptatis particeps aliquando fuisssem. Sed quandoquidem